

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0179

0177

0183

0173

0188

0168

0228

0128

0278

0078

0678

168

monte est vallis grandis et profunda, quae vocatur Galmoab, in qua Dominus mortuum Moysen sepelivit, et sepulchrum ejus nemo unquam invenire potuit, ut habetur Deut. ultimo. Dicunt quidam, quod Moyses in vertice Phasca existens et terram sanctam cernens vidit omnia mysteria sacramentorum Christi, incarnationem, nativitatem, vitam, passionem et mortem Christi, et in hac dulcissima contemplatione mortuus fuit in monte, et Dominus sepelivit eum, in valle ipsum abscondens, ne populus ad idololatriam pronus, si ejus corpus invenisset, sibi divinum honorem impenderet. Ideo diabolus, idololatriam inducere volens, conabatur ostendere corpus Moysis, contra quem Michael altercatus prohibens hoc fieri, ut habetur in canonica Judae. Jeronymus tamen, super Amos, videtur velle, quod Moyses ad instar Enoch et Heliae divinitus in coelum raptus sit. Sic enim dicit: aedificat ascensionem suam, ascendit cum Helia, ascendit cum Moyse, cujus sepulturae locus, quia in coelum ascenderat, inveniri non potuit. In valle ista, in quam Dominus dicitur sepelivisse Moysen, abscondit Jeremias ignem sanctum, arcam Domini et altare holocaustorum et tabernaculum, ut habetur 2. Maccab. 2.

(244 A) Hanc vallem sanctam Galmoab vidimus a longe ultra mare mortuum, et verticem eminentem Phasca montis Abyrim. In hoc vertice est respectus usque ad terram Madian, et in eo videtur mons Synai et Oreb. Vidimus etiam campestria Moab, et super ea montem, in quo Balaam propheta, conductus a rege Moab, qui dicitur Agrispecula, ut dicit Jeronymus de distantis locorum, ut malediceret populo Israel, stabat, populo in campestribus habitanti benedicebat, ut habetur Num. 23. Consequenter visum ab oriente detraximus contra austrum, longe deorsum trans mare mortuum, ubi vidimus Petrae deserti regionem, ipsam autem Petram deserti videre non poteramus. Fuit autem Petra deserti ab antiquo castrum fortissimum in terra Moab, de quo fuit nata Ruth, Moabitis illa virtuosa, de qua dicitur Ruth 3.: scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis, mulierem te esse virtutis. Haec Ruth fuit uxor Boas, de qua nasciturus erat Christus per genealogiae continuationem. Ideo propheta Esaias ibidem C. 16. postulat mitti Christum de Petra deserti in Jerusalem, dicens:

Ende

Anfang